

Cambridge University Press  
978-1-108-01584-4 - *Adversaria, Volume 1*  
Peter Paul Dobree  
Excerpt  
[More information](#)

---

PRÆLECTIO  
IN  
PSEUDO-LYSIÆ  
ORATIONEM FUNEBREM.

PRÆLECTIO IN PSEUDO-LYSIÆ  
ORATIONEM FUNEBREM.

HABITA CANTABRIGIÆ IN SCHOLIS PUBLICIS,  
JUNII DIE 25, 1823.

---

DIGNISSIME DOMINE, DOMINE PROCANCELLARIE,  
CETERIQUE DOCTISSIMI ELECTORES;

Si fas esset suspicari quenquam, non modo vestrum, sed illorum qui hue forte convenerunt, a me esse alieniorem, ei gratulari possem amplam paratamque materiam exultandi. Scilicet eo me adductum videtis, ubi nemo posset, quantumvis confidens, sibi valde placere. Qui-cunque enim ad illam cathedram oculos audet tollere, ipsa petitione concitat eam exspectationem, cui satisfacere sit difficillimum. Non, opinor, postulabitis ut in hujusmodi oratione reconditæ et exquisitæ doctrinæ specimen exhibeat: erit tamen aliquid admiscendum, quod etsi populariter exponatur, ex interioribus literis de promtum esse appareat. Mihi vero, quæ est vestra humanitas, optanti dedistis Lysiam, quem ex Statuti præcepto interpretarer. De quo primum ita magnifice sentio, ut illum desperem eujusvis disertissimi hominis oratione, nedum mea, digne posse commendari. Deinde fateor in minore nunc esse fama, quam pro ipsius meritis, aut pro laudatoris commodo. Neque id valde mirandum, quum et vitæ splendore caruerit, et ejus scripta, privataram causarum finibus fere contenta, res historicas et politicas non nisi obiter attingant. Quod autem ei plurimum

apud nos recentiores nocuit, (nam apud antiquos ejus laus mansit integra,) sunt ejus virtutes ejusmodi, ut quo magis existimatores idoneos delectant, tanto minus a lectorum turba sentiantur. Neque parum ejus lumini offecit exemplarium gravis corruptela.

Quæ cum ita sint, si de universarum aut singularum orationum indole disserere instituam, quomodo me sperem horum adolescentium aures posse tenere? Nam et horum<sup>a</sup> studiis inserviendum est, dum vobis ea quæ olim legistis in memoriam revoco.

Non fugiebat vos, Electores doctissimi, me in deserto atque neglecto argumento versatum iri. Verum, ut conjectio, non inutile fore putabatis, si hos monerem esse quandam oratorem Atticum nomine Lysiam, quem diligenter evolvisse neminem poeniteat. Sapienter quidem institutum est, ut horum animos prius poëseos, præsertim scenicæ, suavitate imbuamus, et historiæ jucunditate et copia delectemus, quam producamus in fori strepitum aut philosophis tradamus. Verum quis est generosioris indolis, qui illa gustaverit, horum expertem se esse patiatur? Quis olim ad rempublicam accessurus non aliquantis per vivat in illa republica, cuius ex ipsis vitiis peti possunt saluberrima consilia? Quem tam parum movet nomen virtutis; quis tam inimicus pæne generi humano est, ut primos illos libertatis vindices, illos Romanorum Britannorumque magistros, Athenienses, e recentiorum compilationibus potius, quam ex ipsorum divinis vocibus malit cognoscere? Neque, si præcipiuus honor semper habebitur Demostheni et Aeschini, idcirco sordebit aut Isocratis lenitas, aut acumen Lysiæ. Quare hunc timorem ponamus, atque de oratore nostro, quandoquidem vobis ita visum est, bonis avibus disputemus.

Sed ante omnia occurrentum est vestræ exspectationi, sive potius meo ipsius animo indulgendum. Ad Porsonum

<sup>a</sup> *Nam et horum e margine sumsi: in textu erat Horum enim— J. S.*

## IN LYSIAM.

5

enim omnes mente ferimus, quoties de illa cathedra cogitamus, aut omnino de literis Græcis; ita ille nominis sui gloriam cum utriusque laude conjunxit. Me vero, quum hanc orationem meditari instituisse, adeo cepit illius desiderium, ut frustra fore viderem, si quicquam prius aggredierer, quam dolorem meum pia commemoratione magnarum virtutum paulisper lenivissem.

Et quoniam ad ipsarum literarum commendationem permultum interest, quales ii existimentur qui doctrinæ laudibus florent, pauca dicenda sunt eorum causa quibus ille minus fuit cognitus. Sæpe enim risi voces mussitantium, superbum quendam fuisse, ferocem, durum, agrestem, quem constaret esse sermonis eximia lenitate et nativa quadam urbanitate præditum. Caruerit sane ficta illa fucataque humanitate, quæ quum bonis atque malis, amicis inimicisque juxta blandiatur, non mirum si tam valde laudatur a stultis atque improbis. Itaque quum esset ostentationis atque jactantiæ non modo expers sed impatiens, aliquando accidebat ut hominum levitatem atque petulantiam, semper quidem justissime, semper lacessitus, sed tamen acrius exagitaret. Nempe fuit ita natura comparatus, ut injuriam neque facere vellet neque posset pati. Fuit animo simplici, recto, excenso, invicto; fuit in omni re veritatis ita studiosus, ita tenax honesti, ut eum solerent amici quasi in exemplum proponere probitatis et fidei. Fuit pecuniæ, honorum, et istorum quæ vulgo putantur bona, verissimus contemtor; nihil humanum ad se pertinere putans nisi conscientiam recti et literarum gloriam.

Atque hanc ita consecutus est, ut vivus mortuusque quasi cognomine dictus sit criticorum princeps. Neque immerito. Quæcunque enim in illam sive artem sive facultatem cadere possunt, in illo fuerunt ejusmodi, ut, etiamsi multum infra illam præstantiam substitissent, singula tamen satis fuissent ad nomen ejus posteritati commendandum. Qui ergo illa habuerit conjuncta, neque

solum conjuncta sed justa proportione inter se temperata ;  
dubitamus quo loco sit ponendus ?

Non me fallit multos moleste ferre Porsonum, qui illo ingenio, illa industria, omnia posset, maluisse in Atticis poëtis emendandis ætatem conterere. Quibus haec tenus assentior ut doleam illum, fortasse quia scribendi laborem reformidabat, interpretis officio tam raro tamque breviter functum esse. Meminerunt enim, quibus eum audire contigit quem scriptorem quemvis, in primis delicias suas Aristophanem, sumisset illustrandum ; meminerunt, inquam, nihil posse cogitari neque copiosius, neque eruditius, neque jucundius. Et quod per se fortasse non magnum est, neque tacendum tamen, si quis erat locus Anglice exhibendus, tum vero omnes in stuporem dabat. Ita quodam proprio artificio summam in vertendo fidem cum pressa concinnaque conjugebat elegantia.

Verum instant viri optimi, atque pluris eum esse dicunt qui magnum antiquitatis æquor emensus omnes divinas humanasque res possit animo complecti, quam eum qui huic aut illi scriptori se quasi in servitutem addicat. Illi igitur me ferant et æqua et vera respondentem. Ego, si quis illam omnigenam eruditionem affectat, fateor illum suo jure uti. Si istas copias ita possit adornare, ut nobile aliquod argumentum clara in luce collocet, omnem laudem atque admirationem a me quidem reportabit. Interea eundum est quo sua quemque ducit natura : neque enim aut hodie aut heri compertum est, “ id maxime esse probandum quod esset in suo genere optimum.” Ac ne quis forte id genus quod ille secutus est, tanquam rem exilem atque minutam, aut elegantem quidem sed otiosum ingenii ludum, temere contemnat ; discat, neque posse quenquam scriptorem emendari, nisi ex omni parte sit intellectus ; neque intelligi, nisi bene sint intellecti alii plurimi ; neque ad editionem parari, nisi accedat multarum difficultumque rerum non solum accurata scientia, sed assidua et diurna tractatio. Hoc

## IN LYSIAM.

7

igitur munus tam utile, tam arduum, tam multiplex, qui ita præstiterit ut ad summam perfectionem aut parum aut nihil deesse videatur, eum dico atque confirmo non solum eo dignum honore quem apud nos adeptus est, sed majore etiam, si major ei tribui posset.

Plura de Porsono quam putaram; quare brevius erit dicendum de Viro doctissimo, cuius abdicatione factum est ut vos hodie conveniretis. De ejus ingenio aut eruditione non me decet vobis exponere quid sit judicandum. Judicavistis ipsi olim, neque vos audivi sententiam mutavissem. Quod licet, gratulor Academiæ, continguisse ut professore frueremur qui tot tantisque negotiis districtus literas Græcas non solum omnibus modis promoveret, sed ipse indefesso studio coleret, scriptisque illustraret. Ipsum vero bonis ominibus votisque prosequamur, et optemus ut otium laboribus partum dignitatisque plenum perget, ut facit, ad reipublicæ literariæ commodum conferre.

Ad Lysiam revertor; de ejus laudibus facile esset longam historiam e Dionysio mutuari, aut præclarum centonem e Cicerone consuere. Sed vereor ne vos deridere videar, si aliena recoxero; aut me ipsum deridendum exhibeam, si multis verbis dixero me nihil novi allaturum. Verum non mihi solum sed omnibus omnem præripuit materiam Dionysius. Qui etsi non potest in omnibus defendi, ut in illis quæ contra Platōnem et Thucydidem satis inique scribit, de Lysia quoties agit, judicio utitur ita incorrupto atque acri, ita diligenter omnes argumenti partes persequitur, ut nihil possit amplius desiderari. Et quum sit non modo summus criticus, sed scriptor valde facilis atque elegans, jucundius erit ejus libellum domi evolvere, quam me audire diutius garrientem ad clepsydram. Quare deposita tandem rhetoris persona, pauca quædam vobiscum confabulabor de oratione secunda, quæ inscribitur Ἐπιτάφιος τοις Κορυνθίων βοηθοῖς. Hanc autem selegi duabus de causis; quod omnium esset notissima,

et quod in rebus versaretur et illustribus et explicatu facilibus. Quod autem id potissimum ago, ut ostendam esse non modo Lysia sed quovis oratore indignam, nolite mirari; neque me putate ab argumento deflectere, si pro Lysia vobis exhibuero nescio quem e scholarum umbra declamatorem. Satis enim illum cognoscet, qui quum hunc cognoverit, cogitabit omnia contraria. Deinde periculum est ne adolescentes, si eam, ut plerique faciunt, primam legant, in summum Lysiæ fastidium adducantur. Nam etsi criticas argumentationes non adhibent, neque tædii sui causas curiose rimantur, satis illos offendit, si quid est verbose, perturbate, obscure scriptum.

Paucissimorum quidem est judicare quid cuique auctori sit assignandum; neque id ausus essem in me suspicere, nisi in re plana et expedita. Neminem conturbet, quod viri acutissimi Victorius, Muretus, Marklandus, alii plurimi, pro Lysiaca atque bona oratione habuerunt. Multa omnes patienter ferimus, imo valde probamus, de quibus, semel suspicione mota, longe aliter sentimus. Fraus jam olim fere subholuit Reiskio, viro longe majori quam existimari solet. Non multo post Reiskium Frid. Aug. Wolfius<sup>a</sup> et summus ille Valckenarius<sup>b</sup> pronunciarunt esse alicujus sophistæ declamationem. Atque Wolfius quidem putat esse conflatam ex Isocratis Panegyrico aliisque orationibus veterum, et veri Lysiæ locis, eodem modo quo compositus est Aristidis Panathenaicus. Valckenarii autem sententiam ex ejus animadversionibus ineditis non gravabor summatim exponere. Neminem enim puto post renatas literas fuisse magis idoneum qui de tali re judicaret. Igitur ad hunc sensum scribebat Vir maximus, anno superioris sæculi quinquagesimo sexto :

“Nil in illa Lysiacum.

In multis sensus est impeditior; nuspianum apparent Lysiaca facilitas.

<sup>a</sup> Ad Demosth. Leptin. p. 363.

<sup>b</sup> Hemst. et Valck. Orat. p. 218.

Multas adhibet locutiones ab usu Lysiæ alienas.

Multas imperite frequentat.

Sophisticis ornamenti plenus est, præsertim puerilibus exclamationibus, et antitheticis partim nimis partim ineptis.

Easdam sententias passim repetit, interdum iisdem fere verbis.

*Toὺς Κορινθίων βοηθοὺς laudaturus, in fine duntaxat orationis breviter attingit; totus est in locis communibus, et in veterum Atheniensium gestis; in istorum temporum historia est pene hospes.*

In brevi fragmento Hyperidis apud Stobæum (Flor. 124. p. 618.) plura ad rem dicta sunt quam in tota hac oratione.

Quis recitavisset? Non Lysias.

In Isocratis Panegyrico plurima sunt prorsus similia. Probabilius Isocrati furatum esse sophistam, quam Lysiæ Isocratem, imprimis quum hic profiteatur se diversa traditurum a prioribus, neque ejus sit mos alios describere."

Hæc Valckenarius. Hic mihi tria sunt observanda. Primum igitur facile assentior Viro summo, non potuisse a Lysia Epitaphium recitari. Illæ laudationes solebant publice mandari viris non solum eloquentia claris, sed reipublicæ principibus.<sup>c</sup> A quo tantum abfuit Lysias, ut non modo rempublicam non attigerit, sed inquilino patre natus in civium numerum recipi frustra optaverit.<sup>d</sup> An igitur ab alio recitandum scripsit, quomodo scripsisse ait Dionysius Orationem περὶ τῆς πατρίου πολιτείας? Atqui vix probabile cuiquam publice delatum fuisse hoc tam honorificum munus, qui alienæ opis indigeret. Non video tamen quare sit antiquis fides deneganda, qui tradunt in hoc etiam genere elaboravisse Lysiam.<sup>e</sup> Funebrem ali-

<sup>c</sup> Thucyd. II. 34. Vide Platon. Menex. prop. init. Dem. de Corona, p. 320. Reisk.

<sup>d</sup> Taylor. Vit. Lys. (Reisk. t. vi. p. 146.) Non obstat Cicero Brut. 16=63. (Tayl. p. 103.)

<sup>e</sup> Dionys. Τέχνη, t. v. p. 259. Reisk. et quos citat Markl. ad Orationis initium.

quam orationem scripsерit, non recitandam, sed ingenii ostentandi causa, sicut Plato Menexenum. Atque in hac sententia esse videtur Wolfius.<sup>a</sup>

Nunc videamus de Isocrate. Fatendum enim est, Valckenario adversari scriptores bene multos, oratorem plagii certatim accusantes. “Aiunt,” inquit Philostratus, (p. 505.) “e Gorgia consarcinatum esse Panegyricum.” Pseudo-Plutarchus in Vitis Oratorum (p. 837. F.) “Panegyricum fertur e Gorgiæ et Lysiæ scriptis transtulisse.” Theon Sophista (p. 8. ed. Bas.) “Eadem videoas in Isocratis Panegyrico et in Lysiæ Epitaphio atque Olympico.” Photius in Bibliotheca (p. 1458.) “Si quis illum furti accuset, quod in Panegyrico multa ex Thucydidis, Archini, Lysiæ Epitaphiis mutuatus sit, nihil prohibet iisdem uti argumentis, quum eadem res incident.”

His plene responderi non potest, quum perierint Gorgiæ et Archini scripta, et ex Lysiæ Olympico breve tantum supersit fragmentum. Quantum tamen e Thucydide conjici potest, videtur Isocrates, si modo ab illis aliquid cepit, ita rem administravisse, ut opportune utendo, callide variando, multa addendo, id non tam furatus sit quam exornandum sumserit. Sed ipsum audiamus: “Consilium daturus adsum, quum de bello barbaris inferendo, tum de concordia inter nos ipsos constituenda. Quod argumentum etsi non ignoro multos arripuisse, confido ceteros tanto intervallo me superaturum, ut illi nihil unquam de hoc negotio dixisse videantur.” Et multa alia consimilis jactantiæ. Procedente quidem sermone modestiorem aliquanto se præbet: “Difficile esse sentio de rebus per vulgatis dicere, de quibus eloquentissimi cives in publicis sepulturis sæpe verba fecerunt, ἐπὶ τοῖς δημοσίᾳ θαυμάνεοις πολλάκις εἰρήκασιν—qui mihi pleraque præripuerunt. Ea tamen quæ restant non sunt prætereunda.” “Lysiam respicit,” inquit Marklandus. Hoc, opinor, est furtum

<sup>a</sup> Atque ita video statuere Benthamum Funeb. Oratt. p. 115.

suum sponte negando palam facere. Etsi monitore non indigebant auditores, quibus bene notum esse deberet opus Lysiæ præsertim recens. Attendite enim ad temporum rationem. Editus est Panegyricus, ut nuper demonstratum est,<sup>b</sup> quindecim annis fere post initium belli Corinthiaci. Primis annis belli scribi non potuisse Epitaphium infra ostendam. Ponamus ergo recitatas fuisse orationes decennii intervallo; non ita obsoleverat Lysiæ opus. Imo vel sic potuerunt ista ab Isocrate ante scribi; quem in Panegyrico perpoliendo decennium aut multo amplius sudavisse constat.<sup>c</sup> Sed alium locum affert Marklandus. De pugna Salaminia dicturus Isocrates ait, “Tumultus et clamores et cohortationes, quæ communia sunt omnium bellorum navalium, non video quorsum attineat multis verbis describere; quæ vero sunt nostrorum majorum propria commemorabo.” Quid autem Epitaphii auctor? In pervulgata materia ita exultat atque lascivit, ut Achillem Tatium aut similem nugatorem potius quam Atticum oratorem legere te putas; ne ab ipsis quidem illis “tumultibus, clamoribus, cohortationibus” abstiens. Non mirum est igitur Marklandum, quum omnia similia videret, statuisse hanc ipsam orationem ab Isocrate derideri. Ita fortasse argumentabatur Vir doctissimus: “Alterum ab altero exscribi patet; sed Epitaphii auctor non fuisset ita fatuus, ut si ista vidisset ab Isocrate reprehensa, tamen eodem ipso modo ineptire pergeret; ergo antiquior auctor Epitaphii.” Tertium locum addere poterat, e Panegyrici initio: “Alii sibi auditores in proœmiis conciliant excusando ea quæ dicenda sunt, vel quod non spatii satis datum sit ad meditandum, vel quod difficile sit orationem invenire quæ magnitudini rerum respondeat.” Quæ sequuntur nescias utrum de se dicat magnificentius an in alios contumeliosius. Ecce vero Epitaphii

<sup>b</sup> A Spohnio in edit. Panegyrici. Ita et Valckenarius in MSS.

<sup>c</sup> Quintilian. x. 4. 4.